



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Iac. Chiffletii De Linteis Sepulchralibus Christi
Servatoris Crisis Historica**

Chifflet, Jean-Jacques

Antverpiae, 1624

Cap. V. Sindonis ac Sudarij έτυμον & significatio multiplex: vtrumque ad
funera taductum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64456](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64456)

CAPVT V.

*Sindonis ac Sudarij ἔτυμον. Et significatio multiplex:
vtrumque ad funera traductum.*

SCIO geminas has voces *Sindonem* & *Sudarium*, promiscuè sumi ab Auctoribus: quæ tamen strictè considerata, diuersa habent ἔτυμα & significationes. Sindonis ἔτυμον hauriunt Grammatici à Sidone, maritimâ Palæstinæ vrbe, quòd in eâ primùm Sindon coeperit fieri. Iustinus eam Lib. 18. urbem à piscium vbertate sic dictam censet, quia *piscem* (inquit) *Phœnices Sidon vocant.* in nummo veteri Annæ Faustinae nominatur COL. AVR. PIA. METROPOLIS. SIDON.

Significatus Sindonis varius est, & multiplex. & quidem primò, quoduis lineum textum, quod velaret & amiciret, dictum est sindon. Baysius ex Polluce docet, sindonem esse *amicium ex lino Ægyptiaco.* Isidorus strictiùs capit: *Anaboladium sic dictum*, inquit, *amicitorium lineum feminarum, quo humeri operiuntur, quod Græci & Latini sindonem vocant.* Alij pro integro vestimento capiunt; vt Strabo, qui scribit *Indos sindonibus candidis, & car-* Lib. 15. *basis vti, contrà quàm ab his tradatur, qui dicunt eos vestes coloribus infectas gestare.* Glossæ veteres: Σινδών,

δὼν, *tunica lintea*. Galenus: Μὴ γυμνὸς κομιζέσθω, ἀλλὰ
 Ἐπιβεβλημένῳ σινδὼνα μὴ ψυχρὰν, ἢ ἕτερον Ἐπιβλη-
 μα. *Ne nudus feratur, sed opertus sindone non frigida,*
vel alio vestimento. Martialis, de Endromide Se-
 quanicâ:

Lib. 4. *Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres,*
Nec sic in Tyriâ sindone tutus eris.

Theod. & Pall. Hinc in Historiâ Lausiacâ, inuenies Patrē quem-
 dâ, *Serapionem*, cognomine *Sindonitem*, quòd lineâ
 veste tantùm tectus obambulet. Denique narra-

Cap. 14. tur in Marci Euangelio, quòd cùm militum co-
 hors ad radices montis Oliueti Christum oran-
 tem inuassisset, discipuli omnes relicto eo fugerunt;
 & qui sequebatur eum adolescens, Ἐπιβεβλημένῳ
 σινδὼνα Ἐπι γυμνῷ, *amictus sindone super nudo*, cùm te-
 neretur à militibus, eâ relictâ nudus aufugit. Hunc
 fuisse Ioannem Euangelistam, volunt Ambrosius,
 Gregorius, Beda, & alij Patres. *Ille autem cœnato-*

Anno 34. *riâ veste adhuc indutus erat* (inquit Baronius) *quæ*
 n. 39. *solebat esse sindon, eademq; proluxa, ut merito fugam*
arripiens abiecerit eam adolescens ille, existimatus
Ioannes; qui quòd, ut creditur, mœrore oppressus non
recepisset vestimenta sua, ut erat in mensâ, remansit
amictus sindone super nudo. Transijt quoque sin-
 don ad funera, ita vt esset linteum sepulchrale ad
 cadauera non secùs atque vestimento tegenda &
 inuol-

inuoluenda. Herodotus de Ægyptiis: *Vbi abluerunt corpus, sindone byssinâ, incisâ loris totum inuoluunt.* Lib. 2.

Sudarium Nonnus Poëta Græcus vocem Syriacam esse dixit, nec immeritò; nam in libro Ruth, vbi Hebræus habet, *הבי המטפחת* *Hami hammitpabat*, dato linteum; Chaldæus dicit, *הבי סודרא* *Hami sodara*. Alij passim omnes Latinis tribuunt, quòd apud ipsos clarius sit vocis etymon; *sudare* enim & *sudarium* affinia sunt. Ergo sudarium vocant linteum quoduis, quod *suda* siue sicca reddit corpora, *sudorem detergendo*. Inclino in sententiam Nonni; etsi nihil vetat idem vocabulum duabus linguis natium esse, vt asserunt quidam de nominibus *Missa, cephas, Iesus, & Pascha*. In Ioan. cap. 11. & 20. Cap 3. v. 15.

In Mediâ comœdiâ *σδαίμων* vocatur *καψιδώμων*, quasi *sudorem absorbens*. vetus etiam Onomasticum habet, *sudarium, καψιδώνιον*. Apud Quintilianum *Vatinius reus, agente in eum Caluo, sudario candido frontem deterfit*. Et apud Tranquillum *Nero plerumque prodiit in publicum, ligato circa colulum sudario*; tum aliò, tum forsan ad sudatoria perrecturus, vbi ferè loco strigilum vsurpata sunt sudaria: quæ Martialis linteorum nomine comprehendit, vbi de strigilibus ferreis: Pollux lib. 7. c. 16. Cap. 5 r.

*Pergamus has misit curuo dstringere ferro,
Non tam sapè teret linteâ fullo tibi.*

D

Dio

Dio in Nerone, pro eo quod Suetonius *sudarium* dixit, extulit σινδόνιον, quod est idem atque linteum. Ad Af-
nium. tenue, quia erant texta lino sudaria. Catullus vtrumque sumit indiscriminatim, quando petens furreptum linteum, ait:

— *mibi linteum remitte,
Quod me non mouet aestimatione,
Verum est urnuόστων mei sodalis:
Nam sudaria Setaba ex Iberis
Miserunt mihi muneri Fabullus
Et Veranius: hoc amem necesse est,
Et Veraniolum meum, & Fabullum.*

Setaba vocabantur sudaria, à Setabi oppido Hispaniæ, in edito monte Regni Valentini sito, nunc dicto *Xatina*, cui olim in Europâ, lini palma. Sudarium quod ori maximè tergendo paratum esset, Epist. 2. dictum est etiam *Orarium*. Hieronymus: *Non absque amictu lineo incedere laudabile est: ridiculum est, referto marsupio, quòd sudarium orariumque non habeas gloriari.* Etymologicum sic habet: Ὀρειον, Φάσων, Φωσώνιον, ὄρεσ ὄπι & ἄμια γέον: *Orarium, velum linteum, linteum quo facies detergitur, mantile vultus.* De Diu.
off. Alcuinus mappulam Sacerdotum, quâ pituitam oculorum & narium detergent, vocat *sudarium*. *Gemma animæ: Sacerdos fanonem in sinistrum brachium ponit, qui & mappula, & sudarium*

rium vocatur. Durandus in Rationali: *Sudarium* Lib. 3. cap. 16.
est lineus pannus, quem ministrans Episcopo semper paratum habet, quo ille sudorem & omnem superfluum corporis tergat humorem. *Sudarium*, quo Christus Dominus in monte Oliueti sudorem sanguineum deterfit, in summâ veneratione habetur in Monte sancto Bauariæ. Iam *sudarium* in re funebri vsurpat Ioannes in Christi & Lazari sepulturâ, & alij communiter, vt ex sequentibus aliquot Capitibus planum erit. Cap. 11. & 20.

CAPVT VI.

Sudarium Vefontinum videri illud ipsum de quo mira narrat Beda, quòdque à Virgine Deiparâ in Filij sepulturam concessum dicitur: primi eius possessores.

DE sudario quod fuerat super caput Christi, hæc Venerabilis Beda, libro de Locis sanctis Cap. 5. ab ipso conscripto, ex relatione Arnulphi Episcopi, quem iisdem ferè diebus, quibus hæc gesta sunt, loca sancta visitasse testatur: *Sudarium capitis Domini, post resurrectionem eius, mox Christianissimus quidam Iudæus furatus, vsque ad obitum diuitiis sibi affluentibus habuit; qui moriturus interrogat filios, qui Domini sudarium, qui ceteras patris velit accipere reliquias:*

D 2 liquias: